

DISSERTATIO IV.

De Divisione Cambii.

Definitionem Cambii pro majori rei minùs obviæ dilucidatione sequitur ejusdem divisio, quæ multiplex licet & varia ab authoribus statuatur ut videre est apud Vogt. *thes.* 3. *lit. a.* Brevitatis tamen amore principaliorem & in foro ut plurimum usuvenientem tantummodo referendam duxi. Quæ est, quod

. Cambium sit vel propriè (quod & reale & per litteras vocant Gait. *de credit. cap. 2. tit. 7. n. 1226. § 1236.* Mastrill. *decis.* 303. *n. 4.* & *dissert. preced.* cum suis qualitatibus descripsimus) vel impropriè tale, cui veræ cambii proprietates deficient, quale est Minutum sive Manuale, Germanis *Hand- oder klein Wechsel*, quando in eodem loco pecunia unius formæ & materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ & materiæ, ut moneta aurea cum argentea, grossa cum minuta, Scacc. *§. 1. q. 5. n. 19. 20. § seq.* & siccum quasi carens humore ad legitimos fructus ferendos, quod in effectu cambium non est, sed potiùs palliatum mutuum sub veste cambii à Pio V. *in ejus constitut. super camb. de anno 1571.* describitur : *Siccum, quod ita confingitur, ut contra-hentes ad certas nundinas seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore unde processerant inanes referantur, aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus;*

bratus; nam inter dantes & recipientes usque à principio ita convenerat, vel certò talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis aut locis supradictis hujusmodi litteris receptis solutionem faciat, & tanquam illicitum & usurarium damnatur in allegata jam Constitutione, exemplis idipsum illustrat Sprenger. in seiner Wechsel Pract. §. 9. Ast nobis deinceps de solis cambiis propriè talibus sermo erit, quæ celebriter subdividuntur.

- §. 2. In Cambia feriarum, quæ & regularia, & platearum quæ irregularia appellantur, Leipzig W.D. §. 4 Bod. thes. 2. Vogt thes. 3. Feriarum sunt, quæ in & pro feriis celebrantur, Gait. de credit. cap. 2. tit. 7. n. 1238. & 1344. Ferias autem accipere noli prout in Jure Romano, quo feriæ sunt dies non juridici, l. 7. Cod. de fer. sed pro nundinis seu mercatibus majoribus, qui determinato tempore à mercatoribus celebrantur, certisque Privilegiis à Superioribus dotati sunt, tot. tit. ff. de nundinis, neque tamen quascunque nundinas intelligimus, sed eas tantum, in quibus negotiatores conveniunt ut cambia celebrent, quæ dicuntur nundinæ seu feriæ cambiorum, Raph. de Turr. Disp. I. q. I. n. 5. Cambia platearum sunt, quæ extra nundinas in- & pro plateis contrahuntur; platea verò hîc non significat aream seu locum publicum, in quem populus convenire solet, sed denotat civitatem, in quâ contrahuntur cambia, vel in quam dirigitur seu destinatur eorum solutio. Differentias inter cambia feriarum & platearum assignat Bod. thes. 2. lit. b. Vogt thes. 3. lit. c. Ludovici Einleith. zum Wechsel Proceß cap. 4. §. 90.

Trassans si in seipsum direxit solutionem, est cambium §. 3.
proprium. E. C. Si debitor super summa debita creditori det cambium à seipso in nundinis Lipsiensibus vel Francofurtensibus solvendum, ex quibus causis inducta sit hæc species cambiorum, tradit Lud. cap. 3. §. 3. ubi & §. 5. ponit formulam cambii proprii, cavendum tamen ne ex puro mutuo quid ultra sortem accipiat in eodem loco; si verò in tertium alterius loci solutio dirigatur, cambium dicitur trassatum sive negotiatum.

Cambiis propriis accenseri possunt quibusdam in locis usitata cambia, quæ trassata præcedunt vulgò *interims Wechselbrieffe*/confici solita, vel quando statuto (ut Magdeburgensi Magdeburg W. D. art. 28.) prohibitum est pro futuris nundinis cambia celebrare, nisi infra breve tempus ante nundinas, & creditori ad interim pro sua securitate cambia in personam debitoris extraduntur. Vel quando nescitur, cui debeat fieri solutio in feriis, quòd negotians cambium sit mandatarius, ad interim solutio fieri mandatur ipsi factori, donec principalis determinaverit, in cuius personam solutio sit destinanda. De quibus disponit die alte Breslawische W. D. art. 19. *Daß der Debitor schuldig seye zum wenigsten vierzehn Tage vorm Abreise in die Meß auff Begehren ein richtigen Wechselbrieff von sich zu geben. Magdenburg W. D. cit. art.*

DISSERTATIO V.

De Causa efficiente Cambii.

PROpositâ nunc cambii quidditate sive essentiâ per genera

C

cau-